



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cl. Viri Valerii Andreae Desselii In Academia Lovaniensi
Professoris Regii Erotemata Juris Canonici**

Andreas, Valerius

Coloniae, 1697

XXXVI. De Transactionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62934)

aperire; imò pactum, de quo agitur lo-
co citato, videri fuisse solemne pactum,
mediante stipulatione conceptum, ad
querimoniam Antigoni.

*Valerne pactum turpe aut rei turpis vel
impossibilis, de facto vel de jure?*

Non valet, nec ullam obligationem
inducit tale pactum; veluti si quid pro-
mittatur, quod per se inhonestum sit,
ut sacrilegium vel homicidium, aliave
res peccato obnoxia; si quis stipuletur,
quod existere non potest, vel per rerum
naturam fieri; si quis accepta pecunia
beneficium promittat, aut jus patro-
natus, aut simile quid. Sic & pactum
de succedendo in alterius beneficium
rejicitur.

*c. ult. h. e.
can. Non
malis,
c. c. Non
semper
xxx. q. 4.
c. 4. c. 6
h. t. c. 5.
ead.*

De Transactionibus.

TIT. XXXVI.

Transactio quoque, ut controversiæ
finiantur, aptissimum est instru-
mentum. Differt à Pacto, quòd
omnis Transactio sit pactum, sed
non è contra, & quod pactum etiam
gratis & donationis causâ fieri pos-
sit, non etiam transactio.

E

Quid

Quid ergo est Transactio?

Est rei dubiæ ac litis incerti, non definitæ, conventa, & non gratuita de cessione. Dicitur, incerti: quia transactio non fit de qualibet re dubia, sed dubia propter litem, sive præsentem sive futuram, idque aliquo dato, vel retento vel promisso,

Quid si jus alicujus sit certum, & tamen super eo lis pendeat?

Valebit transactio: quia etsi jus alterius certum sit, tamen quia super eo lis pendet, res dicitur simpliciter esse incerta, quia incertus litis eventus.

*l. in sum-
ma c. 5. in
pr. D. De
condict.
indeb.*

Licetne transigere super beneficio Ecclesiastico, vel alia re spirituali?

Non licet: cum enim transactio fit aliquo dato vel accepto, si super beneficiis vel aliis rebus spiritualibus transigere liceret, incideret ea res in crimen simoniæ, ut pro quibus nec pretium nec aliam rem pretio æstimabilem dari vel accipere liceat. Nisi ad redimendam vexam, hoc est dum non illud agitur, ut numerato pretio beneficium vel alia res spiritualis acquiratur, sed ut bonum

*c. 4. s. &
passim.
h. t.*

jam acquisitum, ne litibus à potenti
adversario vexemur, illa sum retinea-
mus aliquo dato.

*c. Dile-
tus 28.
inf De
simon.*

Qua est vis & effectus transactionis?

Quòd lis semel transactione finita
non possit amplius resuscitari, ne qui-
dem sub prætectu novorum instru-
mentorum post ab actore reperorum.

*c. 1. h. t.
& l. sub
prætextu
C. eod.*

De Postulando.

TIT. XXXVII.

Si nec pacto nec transactioni locus de-
tur, tunc ad tribunal judicis eun-
dum est, ubi Actor petitionem suam
intulit, Reus verò petitioni acto-
ris contradicet: idque uterque fa-
cere potest, vel per se, vel per alios,
Advocatos, Procuratores, Syndi-
cos.

Postulare quid?

Postulare (quod est proprium Ad-
vocatorum officium) est desiderium
suum, vel amici, in jure, id est, in judi-
cio, apud eum, qui jurisdictioni præest,
exponere, vel alterius desiderio con-
tradicere,

*l. 1. s. po-
stulare
D. h. t.*

E 2

Qui